



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio VII. De involuntario. ad q. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



pro illo instanti, quo peccat, & habet omnia requisita ad operandum, potest non operari potentia antecedente, h. e. absolutâ & præcendente ab hypothese impossibili, concedo: consequente & involuente talem hypothesein, nego consequentiam.

13. *Obijciens quintò.* Ideo voluntas prædeterminata ad amandum posset non amare in sensu diviso, quia si præmotio auferatur, vel ponatur opposita, potest actum oppositum, vel negationem amoris ponere: atqui hoc non sufficit ad salvandam libertatem & potentiam proximam in oppositum: nam causa quoque necessaria, v. g. ignis potest non comburere, si quod est prærequisitum ad agendum ab ipso removeas. Hâc etiam ratione Beatus ad DEUM odio habendum, damnatus ad amandum, haberent potentiam proximam; quia ille in sensu diviso visionis posset odio habere, iste autem in sensu diviso, h. e. remoto statu damnationis, posset DEUM amare.

*Resp.* negando majorem: quæ procedit ex modo intellectû sensûs compositi & divisi. Ratio igitur est; quia positus omnibus requisitis ad agendum, ipsâque prædeterminatione, voluntas regulata per indifferentem cognitionem habet verissimam potentiam ad oppositum: ita scilicet ut vi indifferentis istius propositionis æquè posset in oppositum tendere, nisi supponeretur jam in actu secundo opposito [quæ suppositio conditionalem necessitatem inducit] per divinam motionem causaliter, per propriam quoque determinationem formaliter constituta: qualem indifferentem propositionem nec in igne, allâve causâ naturaliter agente, nec in Beatis, aut damnatis reperies. Solet etiam obijci, quod ex prædeterminatione sequatur, DEUM fieri auctorem peccati, quam tamen sequelam in dispositionem de peccato, ibi commodius refutandam, remittimus.

## DISPUTATIO VII.

DE

### Involuntario ad. q. 6.

**I**nvoluntarium in præsentî accipimus non negativè, pro non voluntario, sed positivè, & contrariè, ejusque causas discutimus; quarum 4. communiter enumerantur, juxta 4. modos, quibus voluntas vel ex parte sui, vel ex parte cognitionis à motu voluntario impediri potest. Nam cognitio requisita impeditur vel ignorantia, vel passione concupiscentiæ; influxus verò voluntatis impeditur potest, vel metu, vel violentia. Unde 4. sunt causæ involuntarij, violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia.

### ARTICULUS I.

#### An & quomodo violentia causet Involuntarium.

##### SUMMARIUM.

1. Violenti expositio.
2. Involuntarium aliud simpliciter, aliud secundum quid.
3. Actui imperati patiuntur violentiam.
4. Non actus elicitus.
5. Neque cessatio ab illis.
6. Potest odium proprij esse fieri voluntarium.
7. Stante indifferenti propositione objecti non potest voluntas necessitari ad actum.
8. Subtractio divini concursus ad comburendum igni Babylonico non fuit violentum.
9. Actus imperati & coacti quomodo sint à principio intrinseco?
10. Violentia simpliciter causat involuntarium.
11. Qua coactio fuit, neque ad meritum, neque ad demeritum valent.
12. Baptismus adulti collatus per violentiam est invalidus.
13. Vis illata non est moraliter violentia, si in resistendo non adhibeas debitam diligentiam.
14. Regula ad dignoscendum, quanta sit adhibenda resistentia?

##### §. I.

*In actibus elicitis voluntatis nihil potest violentia.*

- **V**olentium dicunt Philosophi esse ab extrinse-

co, passo veniente. Unde distinguitur violentum à necessario, coacto, & involuntario. A necessario; quia hoc reperitur in quolibet actu determinato ad unum, licet ille sit à principio intrinseco, & quàm maximè voluntarius; veluti de amore beatifico dictum est. A coacto; quia licet istud semper sit conjunctum cum violentia, tamen propriè dicitur tantum de cognoscentibus, ideoque minus latè patet, quàm violentum, quod etiam dicitur de non cognoscentibus. Ab involuntario; quia istud etiam ex ignorantia causari potest, ideoque latius patet, quàm violentum. Cæterum violentia vel est simpliciter talis, vel tantum secundum quid. Simpliciter talis est, si provenit ab agente extrinseco, passivo viribus resistentem. Violentia secundum quid talis, cum equidem provenit ab agente extrinseco, passivo tamen non omnem possibilem ac debitam resistentiam adhibente, adeoque vel formaliter, vel virtualiter cooperante.

Rursus Involuntarium aliquando est simpliciter tale, cum nempe, consideratis omnibus circumstantiis, voluntas aliquid absolute respuit; secundum quid tale est, quando illud voluntas in his circumstantiis absolute quidem vult, conditionatè tamen, & si tales circumstantiæ abessent, illud non veller, veluti mercator ad servandum vitam



vitam vult absolute merces in mare projicere, quas tamen nolle abijcere, si vitæ periculum abesse. His positis

**CONCLUSIO prima.** *Voluntas in actibus à se imperatis potest pati violentiam.* Ratio est: quia possunt potentia externa subiectæ voluntatis imperio per vim extrinsecam illatam cogi ad actus imperio & inclinationi voluntatis contrarios, vel vice versa impediri ab actibus à voluntate imperatis: ut si virgo per vim stuprum patitur: si quis vinculis injectis ab alicujus loci accessu arceatur: sed hoc modo voluntas patitur violentiam, siquidem resistit effectui à principio extrinsecò illato. Ergo voluntas in actibus imperatis pati potest violentiam.

**CONCLUSIO secunda.** *Voluntas in actibus elicitis, aut in cessando ab illis, non potest pati violentiam.* Prima pars constat auctoritate & ratione insinuatà à D. Anselmo l. de lib. arbit. c. 6. dicente: *In vitio nemo potest velle aliquid, quia non potest nolens velle.* Nimirum omnis actus elicitus voluntatis est vel inclinatio ipsius, ab eadem tanquam principio conjuncto & intrinsecò proveniens, vel oritur ex ipsa inclinatione voluntatis, si est actus fugæ: sed neutro modo potest esse violentus: siquidem violentia requirit principium merè extrinsecum, & simul resistantiam passivam.

Secundæ partis ratio est: In tantum voluntas pati debet violentiam in cessatione sui actus, in quantum propter subtractionem divini concursus non posset continuare actum sibi maximè proportionatum, ut si DEUS denegaret concursum ad amorem fructivum animæ videnti Deum: sed voluntas in tali casu propriè non patitur violentiam: ergo. Minor probatur: Causa inferior non aliter inclinatur in suos actus, nisi ut exercendos eum dependentia ab influxu causæ superioris, unde, cessante motu causæ superioris, cessat etiam inclinatio causæ inferioris in suum actum: Atqui in prædicto casu cessaret influxus causæ superioris: ergo pariter cessaret inclinatio causæ inferioris in suum actum, & consequenter illa cessatio non esset contra inclinationem, & resistantiam voluntatis.

## §. II.

*Solvuntur objectiones.*

**Obiicies primò.** Si DEUS determinaret voluntatem ad proprium esse odio habendum, tunc actus odii esset contra inclinationem naturæ & simul à principio extrinsecò: ergo esset violentus.

*Respondet.* Non posse determinari voluntatem ad proprium esse odio habendum, nisi sub ratione alicujus miseræ, quo casu actus odii erit simpliciter voluntarius.

**Obiicies secundo.** Si DEUS circa objectum in intellectu indifferenter propositum necessitaret voluntatem ad actum determinatum; tunc ille actus erit necessarius & contra connaturalem inclinationem voluntatis: ergo erit violentus.

*Respondet.* negando, quod stante indifferenti propositione objecti in intellectu DEUS possit necessitate ad actum voluntatis; siquidem illa objectiva indifferencia est radix essentialis ipsius

libertatis in voluntate; unde actus ex vi talis objectivæ indifferentiæ elicited hoc ipso est liber.

**Obiicies tertio.** Non minùs est contra inclinationem voluntatis si ipsi subtrahatur concursus ad amandum DEUM clarè visum, quàm fuerit contra inclinationem ignis Babylonici subtractione concursus ad comburendum: sed ignis Babylonicus passivus est violentiam: ergo etiam patitur voluntas violentiam in cessando ab amore.

*Respondet* negando minorem; & quòd subtractione concursus ad comburendum fuerit contra omnem ignis inclinationem: licet enim fuerit contra ipsius inclinationem particularem, non tamen contra universalem secundum quam causa primæ & universali obedientialiter subijcitur. Unde in meliori philosophia negatur, à DEO ulli creaturæ propriè inferri violentiam, quia DEO supra naturam operanti omnis creatura obedit, & tunc inclinatio in bonum particulare cedit inclinationi in bonum universale. Ideo de igne Babylonico Sap. 16. dicitur: *Ignis, ut nutritur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est: creatura enim tibi factori deserviens exarsescit in tormentum adversus injustos &c.* & D. August. lib. 26. contra Faust. *DEUS Creator & Conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit: id enim est cuius naturale, quòd ille facit, à quo est omnis numerus, motus, & ordo natura.*

**Obiicies quarto.** Etiam actus imperati à voluntate sunt à principio intrinsecò, & secundum inclinationem potentia, v.g. visio per oculos violentè apertus est à potentia visiva, motus progressivus per violentum impulsus est à potentia loco-motiva & juxta inclinationem ipsius: ergo etiam in actibus imperatis voluntatis non reperitur propriè violentum.

*Resp.* actus imperati & coacti sunt à principio intrinsecò comparativè ad potentiam elicientem, concedo: ad potentiam seu voluntatem imperantem, (quæ in definitione voluntarii nomine principii intrinseci intelligitur) nego. Ergo non sunt violenti, quatenus præcisè sunt à principio proximo eliciente, concedo: quatenus sunt contra voluntatem repugnantem, nego.

## §. III.

*Violentia causa involuntariæ.*

**CONCLUSIO tertia.** *Violentia simpliciter causat involuntarium simpliciter.* S. D. hinc q. 10. 6. a. 5. Ratio ex dictis quidem est à principio purè extrinsecò, voluntate nihil de suo conferente, imò pro viribus resistente, hoc est simpliciter involuntarium; sed ita se habet violentum simpliciter: ergo violentum simpliciter causat involuntarium simpliciter. Hinc

**Colliges primò.** Ea quæ coactè & ex violentia fiunt, neque ad meritum valere, neque ad demeritum, seu peccatum; quia deest voluntarium, sine quo neque merito, neque demerito potest esse locus. Unde, si quis violentè cogeretur ad reverentiam & cultum sive vero sive falso DEO exhibendum; neque per priorem actum haberet meritum, neque per actum posteriorem haberet peccatum.

**Colliges secundo.** Baptismum per violentiam collatum adulto renitenti esse invalidum; nam



ad validam hujus susceptionem in adulto prærequiritur voluntas & intentio saltem habitualis illum recipiendi: atqui violentia tollit etiam habitualement voluntatem: ergo.

13. *Colliges tertio.* Vim illatam ad aliquem actum illicitum extorquendum, non censeri moraliter violentam, sed interpretativè voluntariam, si voluntas intermittat adhibere resistantiam, illasque vires & modos, quibus hic & nunc tenetur impedire actum intentatum. Quia tunc effectus aliquis censetur interpretativè voluntarius, & ex causa vel omissione moraliter subsecutus, quando voluntas potest ac tenetur illum impedire, nec tamen impedit.
14. Cæterum ad discernendum, quanta sit adhibenda resistantia ad impediendum aliquem actum violenter intentatum, Corneio hic disp. 2. dub. ult. tradit hanc regulam, ut nimirum attendatur, utrum ad illum impediendum obligetur præcepto negativo, vel affirmativo. Nam si quis teneatur tantum præcepto affirmativo, non statim imputatur in culpam, etiam si non adhibeat

omnem resistantiam possibilem: sed sufficit, ut adhibeat convenientem attentè ratione damni, siquidem præcepta affirmativa ordinariè non obligant cum periculo famæ vel vitæ. Si verò obligetur præcepto negativo evitare & impedire actum intentatum, tunc est obligatio ad omnimodali possibili modo repellendum talem actum. Unde, si quis compellatur adorare Idolum vel illum sacrificare, non sufficit contra protestari, & habere contrariam voluntatem, sed tenetur etiam cum famæ & vitæ iactura repugnare: quia ille actus repugnat præcepto negativo non adorandi Sculptile. Pariter, si mulier in casu pudicitie per vim violandæ probabiliter timeat de confectu in actum, tenetur etiam cum vitæ & fame periculo clamare: quia tunc obligatur præcepto negativo non fornicandi: si verò prudenter existimet se confensum non præbituram, tenetur viribus corporis aggressorem repellere quantum potest, sine vitæ tamen aut famæ suæ detrimento, quia tunc obligatur [ut inquit citatus auctor] præcepto affirmativo custodiendi suam integritatem.

## ARTICULUS II.

*An, & quomodo metus causet involuntarium?*

### SUMMARI A.

1. *Definitio metus.*
2. *Metus gravis & levis.*
3. *Metus antecedens & concomitans.*
4. *Quatuor actus concurrentes cum aliquid fit ex metu.*
5. *Actio ex metu facta est simpliciter voluntaria.*
6. *Involuntaria secundum quid.*
7. *Quomodo penitentia ex metu gehenne non sit involuntaria secundum quid?*
8. *Contractus & vota ex metu facta non sunt irrita defectu voluntarii.*
9. *Transgressio legis humane ex gravi metu sæpe est tantum materialis.*
10. *Metus non impedit validitatem de jure naturali in matrimonii, permissionibus, votis.*
11. *Irritantur tamen jure positivo ejusmodi actus.*
12. *Metus aliquando per accidens excusat à peccato.*
13. *Plerumque præcepta humana non obligant in gravi metu.*
14. *Præcepta naturalia negativa obligant etiam in gravi metu.*
15. *Præcepta naturalia positiva aliquando probabiliter non obligant in gravi metu.*
16. *Præcepta Divina positiva quandoam obligent in gravi metu?*

### §. I.

#### *Prænotanda.*

1. **N**otandum primò, Metum definiti ab Ulpiano l. 1. ff. de eo, quod metus causâ. *Quod sit, instantis periculi vel futuri causâ, mentis irrepudatio.* Item ex S. D. 1. 2. q. 41. a. 1. & 2. quod sit passio anime, quâ refugimus malum futurum, cui resisti non potest, vel saltem difficulter. Unde differt metus à violentia, quod ista effectivè &

physicè impellit ad actum voluntatis inclinationi contrarium, ille verò objectivè & moraliter, in quantum voluntati ingerit aliquod objectum liberè impulsivum ad faciendum aliquem actum, quem vi alterius motivi extra casum mali intentati voluntas non elegisset. e. g. in casu Latronum metus mortis aliàs subeundæ, dum voluntati proponit elargitionem pecuniarum tanquam necessarium medium ad conservandam vitam, eandem impellit, ut pecunias Latroni tradat, quas extra intentionem mortis ob affectum erga pecunias non tradidisset.

Notandum secundò. Hic sermone esse non de levi, sed de gravi metu cadente in virum constantem. Levis metus est, qui de levi malo concipitur, & ex quo quis operans non effugit notam inconstantia, ut si brevioris somni causâ frangas jejuniû. Metus gravis est, qui de aliquo magno malo concipitur, quod in iudicio prudentis & constantis viri merito potest ponderare alteri malo, quod pro illo eligendum proponitur, ut est metus mortis, infamia, exilii. Ex quo prudenter aliquis prælegit iacturam pecuniarum, quàm vitæ &c.

Notandum tertio. Metum dupliciter ad actum humanum se habere posse, nempe antecedenter seu causaliter; & concomitanter. Antecedenter se habet, quando ex ejus impulsu & objectiva motione procedit actio, veluti si metator metu naufragii & mortis projicit merces in mare. Concomitanter se habet, quando ita conjungitur operationi, ut tamen non sit causa ipsius. Quemadmodum passio Christi, Sanctorumque Martyrum metus mortis potuit esse conjunctus, ut tamen nequaquam ex metu mortis paterentur. Antecedens metus vel causa



causa totalis actionis, cum nimirum ipso absente actus non poneretur, ut in exemplo naufragij; vel est tantum partialis, ut quidem cum aliis causis impellat ad actum, sic tamen, ut etiam sine ipso vi aliarum causarum actus poneretur. Quæstio procedit in priori sensu; nam metus tantum partialiter concurrens non potest esse causa involuntarij.

Notandum quartò. Cum aliquid sit ex gravi metu, quatuor plerumque actus concurrere: nam in exemplo mercatoris reperitur imprimis amor mercium, qui durat, etiam quo tempore merces in mare projicit. Secundus actus est amor & desiderium vitæ conservandæ, qui priori præponderat. Tertius est efficax electio projiciendi merces pro conservandâ vitâ. Quartus est inefficax & conditionata voluntas non projiciendi merces, si periculum abesset, quæ etiam nolletas appellatur, & causat tristitiam post mercium abjectionem. His positus sit

## § II.

**CONCLUSIO.** Actio ex metu facta est simpliciter voluntaria, & involuntaria secundum quid, ideoq; dicitur voluntarium mixtum. S. D. q. 6. a. 6.

Ratio primæ partis est: quod procedit ex efficaci voluntate & intentione operantis, est simpliciter voluntarium (quippe ab intrinseco principio cum cognitione finis) sed quæ sunt ex metu, ut est v. g. projectio mercium ex metu naufragij, procedunt ex efficaci voluntate, & intentione finis; nam revera mercator, sciens volens merces in mare projicit, ut hoc medio vitam salvet. ergo.

Confirmatur primò. Quæ ex metu sunt, possunt esse peccata, ut cum quis ex metu mortis sacrificat idolis, & cum ex simili metu Petrus Christum negavit. Ergo etiam sunt voluntaria, quia nihil peccatum, quin voluntarium.

Confirmatur secundò. Metus non tollit liberum; ergo nec voluntarium. Antecedens probatur. Quia Martyribus, non obstante metu mortis, erat liberum, fidem Christi profiteri, vel sacrificare idolis.

Ratio secundæ partis est: quia ad involuntarium secundum quid sufficit inefficax renisus voluntatis: sed, ut dictum, cum aliqua ex metu sunt, reperitur inefficax renisus voluntatis. Ergo etiam reperitur involuntarium secundum quid.

## § III.

## Solvuntur Objectiones.

**Obijciens primò.** Si, quæ sunt ex metu, essent secundum quid involuntaria, propter inefficacem renisum voluntatis, ille, qui de suis peccatis doleret propter metum gehennæ, non eliceret actum honestum, siquidem ille actus foret vitiosus per adjunctam voluntatem conditionatam non dolendi de peccatis, si gehennæ periculum abesset: Atqui sequela est contra definitionem Trid. Sess. 6. Can. 8.

*Resp.* neg. sequel. & ejus causalem. Tunc enim ea, quæ sunt ex metu, sunt involuntaria secundum quid, habentque adjunctam nolletatem, R. P. Mez. g. Theol. Schol. Tom. II.

quando malum, ex cuius metu aliquis operatur, non causatur ex ipso affectu & voluntate operantis: uti contingit in illo, qui dat suas pecunias latroni ex metu amittendi vitam, quia hoc periculum non causatur ab ipsius affectu, sed planè ab extrinseco advenit. Econtrà, si malum, ex cuius metu quis operatur, causatur ab ipso affectu operantis, impossibile est, ut ex illius metu quis efficaciter operetur, quin simul deponat illum affectum, è quo infallibiliter causatur illud malum. Ita contingit in penitente, is enim, quia cognoscit sibi gehennæ periculum imminere, causatum ex ipso peccaminoso affectu ad bonum creatum, non potest ex illius metu efficaciter operari, quin hoc ipso deserat affectum erga illud objectum peccaminosum, tanquam radicem & infallibilem causam istius mali: sicque dolor erit ipsi simpliciter sine admixtione involuntarij voluntarij. Quòd si peccator ita sit affectus, ut habeat conditionatam voluntatem non desistendi à peccato, si gehenna non esset, hoc ipso dolor, tanquam serviliter servilis, ut vocant, carebit debitâ honestate morali.

**Obijciens secundo.** Si metus non causaret involuntarium simpliciter, tunc contractus ex metu initi, vota quoque metu extorta non essent ipso jure irrita ex defectu voluntarij; sed sunt irrita, uti patet ex Tit. de his qua vi metu sive causa sunt, ergo.

*Resp.* dist. sequel. maj. non essent ipso jure irriti ex defectu voluntarij jure naturali, & ex defectu voluntarij simpliciter, concedo: jure positivo & ex defectu voluntarij puri, nego. Non igitur ipso jure naturæ, sed jure positivo irritantur aliqui contractus initi ex metu injustè incusso, non quòd ipsis desit absolute sufficiens voluntarium (cum libertas, quæ sufficit ad peccatum mortale, ordinariè sufficiat ad contractum & votum; ad peccatum verò mortale sufficit voluntarium ex metu, ut supra dictum) sed quia tum ad plura evitanda inconvenientia, tum in pœnam illius, qui metum injustè incussit, Legislatores ejusmodi contractus irritare consultò voluere. De quo § sequenti.

**Obijciens tertio.** Si metus non tollat voluntarium simpliciter, tunc qui ad evitandum grave malum omitteret audire Sacrum die festo, vel non servaret jejunium, non excusaretur à peccato gravi; sed consequens est falsum: ergo. Sequel. prob. Voluntaria transgressio legis est peccaminosa: sed non obstante metu hic esset voluntaria legis transgressio: ergo.

*Resp.* neg. seq. ejusque probat. dist. Voluntaria & formalis transgressio legis, nempe hic & nunc obligantis, est peccatum, concedo; materialis transgressio legis, hic & nunc non exercentis obligationem, nego. In dicto autem casu cessat legis obligatio, eò quòd leges positiva humana, & aliquando Divinæ ordinariè non obligent, quando sine gravi incommodo servari non possunt.

## § IV.

## Corollaria.

**Inferes ex dictis primò.** Quoscunque contractus, etiam matrimoniales, promissiones, vota metu etiam gravi injustè incusso facta, ex se, stando in jure



jure naturali esse valida. Ita contra Molinam & quosdam alios Richardus, Sotus, Castrop. Jo. à S. Th. cum alijs, quos citat & sequitur Rhedingus q. 4. a. 1. n. 34. & seqq. Ratio est: ut jure naturali subsistat contractus, sufficit legitimus titulus ad contractus substantiam requisitus, & voluntarium simpliciter: sed in contractu quantumvis ex gravi metu inito potest intervenire legitimus titulus, adest quoque voluntarium simpliciter, quod nullo metu quantumvis gravi tolli potest. Ergo contractus ex metu gravi initus vi juris naturalis non est irritus. Confirmatur. Voluntarium mixtum & ex metu sufficit ad peccatum mortale: ergo etiam ad contractum & votum.

*Dices.* Iniquum est, ut, qui injustè metum incutiendo ab alio consensum extorsit, ex sua injuria commodum reportet: ergo contractus & consensus metu injustè incusso extortus ipso jure naturæ est invalidus.

*Respond. neg. consequentiam:* hinc enim solummodo sequitur, quod secundum juris æquitatem debeat læso competere remedium & beneficium rescissionis, ita ut ipso nolente contractus à Judice sit irritandus, ipso verò volente stare contractui, pars altera, quæ metu consensum extorsit, nequeat rescire. *p. l. dolo ff. de inutilibus stipul. ubi hæc habentur: Dolo vel metu adhibito a litio quidem nascitur (quæ utique supponit validitatem contractus) per doti tamen, vel metus exceptionem summo veri petito debet.*

**11.** *Inferes tamen secundo:* Ex æquitate in jure naturali fundatâ per leges positivas quosdam contractus & vota ex metu gravi facta irritari. Sic irritantur primò matrimonia contracta ex metu injustè incusso per. *c. cum locum, de sponsal.* quòd etiam ad sponsalia extendit Sanchez l. 4. de matrim. disp. 17. *Secundo* vota solennia in Religiosâ professione ob metum gravem in hunc finem incussum emissa per c. 1. *de his, quæ vi metusve causâ sunt.* *Tertiò* Jurisdicção data, vel propagata ex metu l. 2. ff. *de Judicis* & c. *ubi periculum* §. *ceterum de elect. in 6.* *Quartò:* promissio, vel solutio dotis. *ex l. si mulier. 21. §. si dos ff. de eo, quòd metus causâ.* *Quintò:* auctoritas tutorum l. 1. §. *ult. ff. de auctorit. tutorum.* *Sextò:* absolutio ab excommunicatione data ex metu. *c. un. de his quæ vi metusve causâ in 6.* *Septimò:* Testimonia in testamentis metu extorta à testibus l. 4. ff. *de testamentis.*

**12.** *Inferes tertio.* Metum nunquam per se, aliquando autem per accidens excusare à peccato. Non excusat per se: quia, cum non tollat voluntarium, etiam non aufert liberum: per accidens tamen quandoque excusat, vel quia turbando rationem non relinquit locum perfectæ deliberationi, vel quia ob gravitatem mali imminents hinc & nunc cessat alicujus præcepti obligatio, veluti cum Amico observat Rhedingus l. cit. n. 19.

**13.** *Inferes quartò.* Præcepta humana tam Ecclesiastica, quam civilia plerumque tam graviter non obligare, ut metus gravis ab iisdem non excuset: neque enim legislator præsumitur tantum onus subditis imponere voluisse. Et sic lex jejunijs, audiendi Sacri &c. non obligat cum periculo salutis corporalis. *per. c. de observ. jejuniorum* In triplici tamen casu etiam præcepta humana posi-

tiva obligant non obstante gravi metu. *Primo* quando hoc exprimitur in ipso præcepto, & sic Carthusiani obligantur ad abstinentiam a carnibus etiam in periculo mortis.

*Secundo,* quando metus incutitur eo fine, ut quid fiat in contemptum præcepti, tunc enim communis boni ratio exigit legis observantiam etiam cum jactura boni particularis: ac tertio, quoties actus præceptus respicit bonum commune: veluti est præceptum de non legendo Sacrosanctæ luminari, sine sacris vestibus, de aquâ in calice miscendâ vino, tunc enim etiam ob magnam periculum & necessitatem non licet præcepto contrariari, propter bonum commune Religionis in tali præcepto principaliter intentum, docet Castropal. cum alijs, quamvis aliquæ etiam contrarium opinentur.

*Inferes quinto.* Præcepta naturalia negativa, ut est de non fornicando, de non faciendâ latrocinio in valido &c. Obligare in quocunque gravi metu: quia actus ejusmodi præceptis oppositi sunt intrinsicè mali, adeoque nullo metu vel casu excusabiles, aut à malitia separabiles.

*Inferes sexto.* Transgressionem præcepti naturalis positivi metum mortis incutentis probabiliter aliquando excusari posse, prout docet Sotus, Navarr. Jo. à S. Th. disp. 3. a. 1. quia præcepta affirmativa non sunt prohibitiva actionis intrinsicè malæ, sed præceptiva actionis intrinsicè bonæ & secundum moralem honestatem necessariæ, quæ cum quidem obliget semper, non tamen pro semper, ideo poterit dari aliqua circumstantia, in quâ ipsius transgressio excuset. Et ideo Hdephonius Bapt. à peccato excusat puellas, quæ non habens proximum periculum confessâ in actum, negativè promittit sui desolationem, quam sine vitæ suæ discrimine impedire non poterit: eò quòd ista propriæ defensionis omnino adverteretur solum præcepto affirmativo, quo ceterum suam pudicitiam contra invalorem ipsius defendere.

*Inferes septimò.* Præcepta divina positiva in actu metu gravi non obligare: sic enim habentur exempla in S. Script. primò Jos. 5. præceptum circumcissionis per quadraginta annos itineris Israelitarum non obligabat, quia circumcisi propter laborem itineris de vita fuissent periclitati. Secundo quamvis omnibus laicis panes Propositionis fuerint interditi, licuit tamen Davidi cum socijs in extremâ famis necessitate illos comedere. 1. Reg. 21. Christus quoque Matt. 12. suos Discipulos fame urgente spicas vellentem in die Sabbati contra Judæos præceptum observantiae objicientes memorato exemplo Davidis excusat & defendit. Ut porro dignosci queat, quando omnimodum periculum vel metus excuset, quando non sequentem regulam tradit Rhedingus l. cit. n. 27. quando nimirum præcepta divina respiciunt propriam operantis utilitatem, tunc urgente gravi metu vel periculo non obligant, & ita aliquando non obligat præceptum materialis integritatis in confessione: quando verò præceptum in sui observantia respicit commune bonum religionis, tunc obligare in quocunque metu vel periculo, sic obligat sigillum confessionis, consecratio libæ utraq; specie, confectio Eucharistiæ in pane triticeo &c.



## ARTICULUS III.

*An & quomodo concupiscentia causet Involuntarium.*

## SUMMARI A.

1. Notio & divisio concupiscentia.
2. Concupiscentia aliquando minuit & tollit voluntarium perfectum.
3. Auet tamen voluntarium imperfectum.
4. Nunquam per se causet involuntarium.
5. Causat tamen aliquando per accidens.
6. Motus primo primi non sunt peccaminosi.
7. Diversitas inter passionem metus & concupiscentia.

## §. I.

*Resolutio Doct. Angelici.*

Concupiscentia hoc loco est passio appetitus sensitivi circa bonum, sive pertineat ad partem concupiscibilem, quae est circa bonum simpliciter, ut amor, desiderium, gaudium: sive ad partem irascibilem, quae est circa bonum arduum, ut ira, spes, audacia, excepto timore. Dividitur in antecedentem & consequentem [intellige respectu voluntatis actualis] Antecedens est actus appetitus sensitivi circa bonum sensibile suam vehementiam secum rapiens voluntatem ad idem bonum amplectendum. Consequens est actus appetitus sensitivi circa bonum sensibile, excitatus & imperatus ab ipsa voluntate praevie operante. Ista nunquam causet involuntarium, siquidem ab ipso voluntatis actu causetur. De illa vero influitur quaestione

**CONCLUSIO.** *Concupiscentia, [1.] est aliquando minuat, aut omnino tollat voluntarium perfectum, seu liberum, [2.] auet tamen voluntarium imperfectum, [3.] & nunquam per se causet involuntarium etiam secundum quid.* Ita S. D. hic a. 7.

*Ratio primi est:* quia passio vehemens ira potest turbare iudicium rationis, ut parum vel penitus non attendat ad proportionem finis & mediorum, imò ut ne quidem amplius habeat cognitionem indifferentem: sed in priori casu minuitur, in posteriori tollitur voluntarium perfectum seu liberum.

*Ratio secundi est,* quia actus, cum majori intentione procedens a voluntate, est magis voluntarius secundum rationem voluntarii saltem imperfecti, quae plus non requirit, quam procedere ab appetitu cum aliqua cognitione finis. Atqui voluntas ex impulsu concupiscentiae tendens in

aliquod objectum, cum majori intentione in illud fertur, quam si nulla passione moveretur: ergo.

*Ratio tertii est:* quia voluntarium etiam secundum quid, tantum potest provenire ex aliqua fuga mali adversantem voluntati: atqui concupiscentia nullam rationem mali offert voluntati, sed praecise inducit in amplexum boni delectabilis: ergo.

Dixi tamen, *per se* non causari involuntarium; per accidens quippe causari potest, ut primo, si quis ex ira, vel amore eligat media molesta & amara, ducat noctes insomnes, committat se periculis, &c. Secundò, si operando ex concupiscentia causet remorsum conscientiae; hoc tamen involuntarium respectu concupiscentiae censetur esse per accidens, quia non oritur ex formali ratione objecti delectabilis quod concupiscentia respicit, dum e contra tristitia, quam quis patitur ob merces in mare projectas, oritur ex formali ratione objecti, hoc est, mali, quod metus respicit.

## §. II.

*Corollaria.*

**Colliges primo.** Viciosos motus primo primos voluntatis ex passione concitatos non esse peccaminosos, quamdiu non accedit vel formalis vel interpretativa advertentia rationis; tunc enim deest ipsis libertas: quae primum verò accedit advertentia rationis, sunt peccaminosi, nisi quantum ratio contradicat; quia tunc non tantum sunt voluntarii voluntario imperfecto, sed etiam libero, ipsaeque passiones sunt ex antecedentibus consequentes & voluntariae saltem interpretative.

**Colliges secundo.** Diversitatem inter modum quo voluntas operatur ex metu & ex concupiscentia. Nam metus est per se inductivus voluntatis ad electionem minoris mali praemajori malo: unde cum malum per se displiceat voluntati, in ipsa causet nollicitatem illius mali quod eligitur. E contra concupiscentia est inductiva voluntatis ad electionem boni quatenus suam bonitatem & suavitatem allicientis, quae per se non est apta fundare nollicitatem, aut tristitiam, sed tantum rationem alicuius mali per accidens conjuncti, quod concupiscentia superare non potest.

## ARTICULUS IV.

*An & quando ignorantia causet involuntarium?*

## SUMMARI A.

1. Ignorantia antecedens.
2. Ignorantia consequens.
3. Ignorantia concomitans.
4. Ignorantia antecedens est causa involuntarii simpliciter.
5. Ignorantia consequens non causet involuntarium simpliciter, 6. Sed secundum quid.
7. Objectiva diluuntur.
8. Ignorantia concomitans causet involuntarium.
9. Objecta solvuntur.
10. Ignorantia consequens alleviat gravitatem peccati.
11. Ignorantia invincibilis tam antecedens, quam concomitans excusat a culpa.
12. Ad ignorantiam invincibilem requiritur inculpabilis oblivio vel inadvertentia.
13. Invincibilis ignorantia quandoque invalides contrahit & vota?

K 2

§. I. Ex-



## §. I.

*Explicatio & divisio ignorantie.*

1. Ignorantia dividitur in antecedentem, consequentem, & concomitantem. Antecedens [alio nomine invincibilis, inculpabilis, probabilis] est illa quæ antecedit actum voluntatis, & omni morali ac debitâ diligentia adhibita vinci non potuit, ut proinde nec directè nec indirectè sit voluntaria, sed tamen suo modo, nempe removendo prohibens, sit causa, quòd actus fiat, qui absente hac ignorantia nullo modo fieret: e. g. Petrus nullâ intermissâ necessariâ & debitâ inquisitione, num hodie sit dies jejuniij, tamen ignorat esse diem jejuniij, sicque carnes comedit, non comesturus, si sciret esse diem jejuniij: hic non observantia præcepti causatur ab ignorantia antecedenti, quia per ipsam inculpabiliter removetur scientia præcepti, quæ si adfuisset, carniæ comestionem impediisset.
2. Consequens ignorantia [aliàs etiam vincibilis, culpabilis, improbabilis] est quæ sequitur actum voluntatis vel formalem, vel interpretativum, estque proinde directè, vel indirectè voluntaria. Directè voluntaria erit, si sit affectata, ut cum quis studio intermitte inquirere obligationem, quò liberius peccare possit, ad modum illius, Pf. 25. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Indirectè voluntaria est, cum quis non adhibet diligentiam ad deponendam ignorantiam, quantum potest & debet adhibere, estque aliquando *crassa*, & *supina*, cum nullam vel valde modicam diligentiam adhibuit; aliàs non *crassa*, cum quidem aliquam, sed insufficientem diligentiam adhibuit.
3. Concomitans ignorantia dicitur, quæ cum actu voluntatis per accidens conjungitur; ita ut neque sit causa actus, neque effectus: ut si explosione bombardæ occidat inimicum, quem invincibiliter existimas esse feram, eundem tamen nihilominus occisurus, si scivisses adesse. Quibus positis expedita est præsentis quæstionis resolutio. Unde

## §. II.

*Resolutio de ignorantia antecedente, & consequente.*

4. CONCLUSIO prima. *Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.* S. D. hic a. 8. Ratio est, quod causat effectum repugnantem virtuali saltem & interpretativæ voluntati, causat involuntarium simpliciter: sed ignorantia antecedens causat effectum omnino repugnantem saltem interpretativæ voluntati; quia si adesset notitia, talis actus nullo modo poneretur: ergo ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.
5. CONCLUSIO secunda. *Ignorantia consequens non causat involuntarium simpliciter, sed secundum quid.*  
Ratio primi est: quòd qui vult antecedens, etiam vult consequens natum ex illa sequi, & qui est causa causa quæ talis, etiam est causa causari; sed ignorantia vincibilis est directè vel indirectè voluntaria; ergo etiam effectus ex illa secutus est talis.

*Ratio secundi est:* quia ad involuntarium secundum quid sufficit, quòd sit contra aliquam inclinationem voluntatis: sed actus proveniens ex vincibili ignorantia saepe est contra aliquam inclinationem voluntatis; nam & qui ex vincibili ignorantia occidit amicum, existimas esse feram, dolet se occidisse: ergo actus ex vincibili ignorantia proveniens poterit esse involuntarius secundum quid.

Dices primò. Actus quem causat ignorantia antecedens, v. g. explosio bombardæ, & comestio carniæ, est simpliciter voluntarius: ergo ignorantia antecedens causat voluntarium.

Secundò. Non minùs ignorantia consequens removet scientiam effectus, & facit, quòd operans non poneret effectum, si haberet notitiam ipsius, quàm ignorantia antecedens: ergo non minùs causat involuntarium simpliciter.

*Resp. ad 1.* quòd ille actus sit quidem voluntarius quoad substantiam actus, & in ratione explosionis seu fericidii, & alter actus in ratione comestionis, neuter sit tamen voluntarius in ratione circumstantiæ vel effectus invincibiliter ignorati, qualis in primo actu est homicidium: in altero non observantia præcepti: Atqui actus sub priori ratione non est propriè causatus ex ignorantia.

Ad secundum dist. anteced. Non minùs hoc facit ignorantia consequens, quàm antecedens, ita tamen ut sit indirectè volita, concedo, ut non sit indirectè volita, nego anteced. & conseq.

## §. III.

*Resolutio de ignorantia concomitante.*

CONCLUSIO tertia. *Ignorantia concomitans, nec causat voluntarium, nec causat privativè, vel contrariè involuntarium, sed negativè involuntarium.* Ita S. D. hic a. 8. Ratio est: quòd sit ex ignorantia concomitante, nec est cognitum, nec contra aliquam inclinationem formalem, vel interpretativam voluntatis: sed quòd non est cognitum invincibiliter, non potest esse voluntarium; quòd non est contra aliquam inclinationem voluntatis, non potest illa ratione esse contrariè involuntarium: ergo quòd sit ex ignorantia concomitante, nec est voluntarium, nec contrariè aut privativè involuntarium. Restat ergo, quòd tantum sit negativè non voluntarium.

Dices primò. Ut ignorantia consequens causet involuntarium secundum quid, sufficit, quòd voluntas ita sit disposita, ut non poneret talis effectum, si haberet ejus notitiam: ergo etiam ignorantia concomitans causet voluntarium secundum quid, sufficit, quòd voluntas ita sit affecta, ut causaret, & poneret effectum, si haberet scientiam ipsius: e. g. ut occidens feram ita sit dispositus, ut etiam occideret inimicum, quæta inculpabiliter existimat esse feram.

Secundò. In ordine ad subjectum capax non datur medium inter formam & privationem, sed voluntarium & involuntarium respectu actus voluntatis opponuntur tanquam forma & privatio: ergo inter illa non datur medium, siquæ quilibet actus, aut erit voluntarius aut involuntarius contrariè.

Resp.



Resp. ad 1. neg. consequent. & paritatem: quia ad involuntarium secundum quid non requiritur cognitio, sed sufficit, quod sit contra propensionem operantis: Ad voluntarium verò secundum quid necessaria foret aliquis advertentia, & cognitio, quam tamen ignorantia concomitans tollit.

Ad 2. nego suppositum consequentis, quod in presenti actus voluntatis sit capax voluntarii & involuntarii: cum enim sit destitutus necessitate scientiæ objecti, non est capax voluntarii, & cum non sit conjunctus cum aliqua resistentiæ circa tale objectum, etiam non est capax involuntarii.

## §. IV.

## Corollaria.

**Colliges primo.** Ignorantiam consequentem [ nisi sit affectata ] esse circumstantiam alleviantem peccatum, quia facit actum involuntarium secundum quid. Hinc primo peccans ex ignorantia consequente levior meretur poenam, quam is qui peccat ex scientia: quantitas enim poenæ debet esse commenturata quantitati culpæ. **Secundo.** Si poena sit lata contra scienter & temerè prævaricantes, non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia non affectata. Neque tertio incurritur censura ab his, qui illum saltem non crasse ignorant: siquidem in iis non præsumitur formalis, aut virtualis contumacia, quam censura [ excepta irregularitate ] præsupponit.

**Colliges secundo.** Ignorantiam invincibilem, non tantum antecedentem, sed etiam concomitantem excusare à culpa, & consequenter à poenis ac censuris contra ejusmodi transgressiones latis, ubi enim non est liberum aut voluntarium,

ibi nec potest esse peccatum. Neque refert, quod habens ignorantiam concomitantem, sit in eâ animi dispositione, ut hunc ipsum effectum posuisset, v. g. inimicum occidisset, si adesse scivisset: DEUS quippe homini non imputat peccata, quæ faceret, sed quæ facit: neque habitualis illa dispositio hic & nunc in actum influit.

**Colliges tertio.** Ad ignorantiam antecedentem pertinere inculpabilem oblivionem aut inadvertentiam, ut scilicet nulla prorsus cogitatio aut scrupulus in mentem veniat, quo animus ipsius ad investigandam veritatem excitetur. Inde fit, quod ab hæresi formali excusentur multi homines simplices, in terris hæreticorum nati & educati, quibus de fidei veritate nullus unquam scrupulus aut dubitatio oritur. Similiter excusantur à peccato, qui negotiis distracti ex naturali oblivione aliquas preces, v. g. horas canonicas, ad quas recitandas obligabantur, omittunt.

**Colliges quarto.** Per invincibilem ignorantiam aliquando contractus & vota reddi invalida; cum videlicet error & ignorantia afficit ipsam contractus & voti substantiam, vel circumstantiam talem, quæ in substantiam redundat: ut e. g. si vitrum pro gemma emisit; si existimas te promittere matrimonium Catharinæ, promisti Magdalenæ: si existimas ordinem Carthusianorum esse facillimum, vocasti illum ingredi. &c. Cujus ratio est, quod quatenus contractus est involuntarius, eatenus est nullus: sed si ignorantia afficit substantiam contractus, fit etiam quoad substantiam involuntarius: ergo etiam fit in se ipso, & quoad substantiam nullus. Quod si ignorantia tantum cadat super aliquam circumstantiam accidentalem contractus, sicuti quoad substantiam remanet voluntarius, ita manebit etiam validus.

## ARTICULUS V.

## An detur invincibilis ignorantia juris naturalis.

## SUMMARI A.

1. Quid ignorantia juris & facti?
2. Utraque potest esse invincibilis & excusare à peccato.
3. Datur etiam invincibilis ignorantia juris Divini.
4. Non datur invincibilis ignorantia juris naturalis quoad universalissima principia morum.
5. Datur quoad præcepta secundaria.
6. Excusatur à peccato.
7. Exponuntur objecta auctoritates.
8. Jura & præcepta ad alicujus officium pertinentia invincibiliter non ignorantur.

## §. I.

## Resolutio questionis.

1. Ignorantia dividitur in ignorantiam juris & facti: quorum ista est de rei existentia: v. g. sitne hoc animal, quod vides, homo: sitne hic homo Clericus: sitne hæc mulier consanguinea, &c. Altera est ignorantia de legis prohibentis vel obligationis existentia, v. g. sitne hic contractus illicitus, sitne hic dies jejuniij, vel festivus, sitne hoc impedimentum dirimens &c.

Dari invincibilem ignorantiam tam juris quam facti, quæ propter defectum voluntarii à peccato excuset, communis est inter Doctores. Neque refert, quod in foro externo non facile audiatur, qui ignorantiam juris præterdit per Reg. 13. Juris in 6. *ignorantia facti non juris excusat.* Hoc enim solum contingit ex præsumptione, quæ post debitam legum promulgationem nemo facile leges ignorare præsumitur. Hanc tamen præsumptionem si quis per invincibilis ignorantie probationem sufficienter possit elidere, etiam erit in foro externo audiendus, ut colligitur ex c. *cum in rna: qui matrimonium accusare possunt*: & inde constat, quod forum externum conformetur foro interno conscientie, quamdiu præsumptio non est in contrarium.

Nec tantum juris humani positivi, sed etiam divini dari invincibilem ignorantiam ex eo liquet, quod aliqui fidem, quæ est juris divini, invincibiliter ignorent propter defectum prædicantis, ideoque sint infideles negativi, quibus hæc infidelitas negativa in peccatum imputari



non possit, prout Pius V. Greg. XIII. & Urbanus VIII. definiuerunt contra Michaëlem David, & deducitur è S. Script. Rom. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine predicante?* & Jo. 15. *Si non uenissim, & locutus fuissim eis, peccatum non haberent. &c.* Controversiam cum Janenio movent rigidiores quidam Theologi de præceptis Juris naturalis, utrùm illa invincibiliter ignorari possint? de quo sit

4. **CONCLUSIO.** *Etiamsi Jus naturale ab homine rationis compote quoad prima principia moralia universalissima non possit invincibiliter ignorari: datur tamen invincibilis ignorantia in præceptis secundariis morum partialiter directis, ita S. D. infra q. 94. a. 6.*

Primæ partis ratio est: quia jus naturale est inscriptum in tabulis cordis, & in ipso dictorio rationis & luminis naturalis, juxta illud Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Sicut ergo ratio & lumen naturale per peccatum non omnino fuit extinctum, quamvis fuerit notabiliter obscuratum, ita etiam est impossibile, ut in adulto rationis usu prædico non supersint universalissima morum præcepta; uti sunt: Bonum sive honestum esse prosequendum, malum fugiendum; & illud: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* De quo D. Augustinus in Ps. 57. *hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permisus est, ut esset unde judicatenur, & quibus lex non esset data.*

5. Ex his porrò primis principiis aliqua præcepta naturalia quasi per se consequuntur & facillimo discursu inferuntur, uti sunt præcepta decalogi, quæ proinde & ipsa saltem ad longum tempus invincibiliter ignorari non possunt, nisi aliqua notabili circumstantiâ afficiantur, per quam actus malitia & inhonestas occultetur vel excusetur. Ita licet perspicuum sit, non esse licitum interficere innocentem, vel seipsum; non esse licitum mentiri: non tamen æquè perspicuum est, urrùm non liceat mentiri pro salvandâ vitâ proximi, sibi ipsi necem inferre pro conservandâ pudicitia, vel evitandis gravissimis tormentis. Interficere hominem sine spe vitæ cum gravissimis doloribus luctantem, &c. Unde in istis etiam præceptis aliquando intervenire posse ignorantiam invincibilem patet.

Secundæ partis ratio: In iis potest intervenire ignorantia invincibilis, quæ non facile per evidentem ratiocinationem deducitur è primis principiis morum, & in quibus non apparet connexio & resolutio ad primas regulas per se notas: sed in præceptis naturalibus secundariis rudiores ac simpliciores non facile perspiciunt hanc connexionem, neque ex principiis morum istas conclusiones expedire deducunt: igitur nil obstat, quare simpliciores habeant ejusmodi præceptorum invincibilem ignorantiam; nam invincibilis ignorantia ex duplici capite evenire potest, vel quia animum nullus scrupulus & cogitatio alicujus obligationis pulsata, vel quia post cogitationem de tali præcepto adhibita est moralis diligentia ad illud investigandum, nec tamen potuit deprehendi: sed utroque modo contingit præcepta juris naturalis ignorari. Primo qui-

dem modo, quia con fessarij per experientiam deprehendunt, adolescentes ignorantè aliqui subinde committere contra jus naturæ, quorum scrupulum primum post majorem judicii maturitatem conceperunt. Sic inter rusticos multa quandoque superstitiona deprehenduntur, quæ à parentibus accepta sine scrupulo & bona fide prædicantur.

Secundo etiam modo datur invincibilis ignorantia, quia de factò sunt plurima juris dubia in quibus ad certitudinem deveniri non potest. Ita disputatur in utramque partem, an liceat judicium damnare vel occidere reum, an liceat iudicium allegata & probata esse nocens, privata tamen iudicis scientiâ est innocens. An census redimibilis usurarius? Utrùm justè damnatus ad sumendum venenum possit illud propria manu ori infundere? Olim quoque tempore Concilij Lateranensis erat utrinque controversum, an montes pietatis essent liciti vel usurarij?

## §. II.

## Occurritur Adversariis.

**O**bjicies, Si daretur invincibilis ignorantia juris naturalis, tunc excusaret à peccato: sed non excusatur: ergo. Sequela patet ex dictis: quia ubi non est voluntarium non est peccatum: sed ignorantia invincibilis tollit voluntarium: ergo. Minor probatur variis auctoritatibus: primò è S. D. quodlibet. 3. a. 10. dicente: *Nul lus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistris:* [ loquitur autem de ignorantia juris naturalis ] *in talibus enim ignorantia excusatur.* Secundò ex Tertull. de spect. c. 10. *Nunquam excusatur, quod DEUS damnat. Nuliquis & nunquam licet, quod semper & ubique nullo est, &c.* sed quod est contra jus naturale, nunquam licet, est à DEO damnatum: ergo nunquam excusatur. Tertio Gratianus l. 9. q. 4. *Ignorantia juris naturalis omnibus adultis dimittibilis est.* Quarto D. August. ep. 104. *Siquis bonum esse putaverit, quod malum est, hoc putando vitiose peccat.* Ea sunt omnia peccata ignorantie, quando quisque bene fieri putat, quod male fit.

Respondeo negando minorem. Ad cujus primam probationem dico, S. Doct. ibidem manifestè loqui de ignorantia & errore vincibili non tantum juris naturalis, sed fidei, quia ex recurso ad S. Script. & Ecclesiæ auctoritatem deprehendi ac deponi potuit: veluti indicant hæc sequentia illius verba: *Qui ergo assisit opinioni alicujus Magistris contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab errore vitiose excusari.* Ad 2. Resp. Verba Tertulliani tantum velle, quòd lex naturæ sit immutabilis, ita ut per se nunquam fiat licitum, quod est jure naturali prohibitum, quamvis per accidens aliquando ratione ignorantie, quæ superari non potest, legit illius materialis transgressio excusetur. Ad 3. Resp. Gratianum esse intelligendum de primis & notissimis principiis juris naturalis. Ad 4. Resp. S. Doctorem loqui de vincibili adeoque culpabili ignorantia: nam mens ipsius abundè constat ex alibi dictis ep. 48. *Nulius crimen maculat negligentem, & l. de 2. animabus. Nemo peccat in eo, quom-*



quem vitare non potest. Et: Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignores. Acl. de vera relig. c. 14. Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc ita manifestum est, ut nulla indoctorum turba discentiat.

Colliges ex dictis. Illorum jurium & legum ignorantiam non reputari invincibilem, quarum cognitio pertinet ad alicujus officium, & adhiberi morali diligentia obtineri potuit. Unde non excusantur per ignorantiam Christiani nescien-

tes, quæ pertinent ad hominis Christiani officium; neque Clericus aut Religiosus ignorans obligationes statûs Clericalis aut Religiosi, &c. cum enim suscepcioni alicujus officii annexa sit obligatio procurandi sufficientem notitiam omnium obligationum ad munus illud ritè obeundum pertinentium, hoc ipso quòd quis debitam diligentiam in hac notitia procuranda intermittat, legum transgressiones ipsi efficiuntur indirectè & interpretativè voluntariæ.

## DISPUTATIO VIII.

DE

### Actibus humanis in specie.

Quæ S. D. à q. 9. usque ad 20. inclusivè disputat, hæc disputatione complectimur, & primò modum, quo voluntas ad actum procedit; quo vel seipsam movet, vel ab aliis principiis tum intrinsicis tum extrinsicis movetur; denique ipsorum humanorum actuum naturam, distinctionem, Oeconomiam, & coordinationem contemplamur.

#### ARTICULUS I.

##### Quomodo voluntas moveatur ab intrinsicis principiis.

###### SUMMARIUM.

1. Impossibile est, ut voluntas appetat malum sub ratione mali.
2. Non datur in voluntate affectus neuter.
3. Intellectus movet voluntatem in genere causa finalis, & formalis extrinsecæ.
4. Diluuntur objecta.
5. Appetitus sensitivus in voluntatem insluit indirectè quoad specificationem actûs.
6. Auctoritates S. Script. non evincunt efficaciam effectivam.
7. Implicat voluntatem ferri in incognitum.
8. Amor mysticus non est sine operatione intellectûs.
9. Ad actum deliberatum requiritur iudicium rationis.

###### §. I.

###### Influxus intellectûs in voluntatem.

Suppono primò ex dictis in 1. disp. adæquatam objectum voluntatis esse bonum, ita ut nullâ ratione possit appetere malum sibi ab intellectu propositum sub ratione mali: sicut enim est impossibile ut intellectus assentiat falso quâ tali, quia adæquatum ipsius objectum est verum; ita neque possibile est voluntatem prosecutivè tendere in malum, cum adæquatum objectum appetitûs sit appetibile, h. e. bonum.

Suppono secundò contra Scotum, non dari in voluntate affectum neutrum, ut vocat; h. e. talem actum, qui nec sit de fine, neque de mediis ad finem. Nam bonum vel appetitur propter se, vel propter aliud: sed in omni actu voluntatis reperitur appetitus boni tanquam objecti adæquati: ergo vel illud bonum appetitur propter se, vel propter aliud; si propter se, tunc est boni-

tas finis; si propter aliud, est bonitas mediorum. Confirmatur. Omne bonum vel est honestum, vel delectabile, vel utile; si honestum, vel delectabile, tunc habet bonitatem finis; si utile, tunc habet bonitatem mediæ ad finem. His positâs quaritur quomodo & in quo genere causa voluntas moveatur ad suum actum ab aliis potentiis à se distinctis, nempe ab intellectu, & ab appetitu sensitivo. Pro cuius resolutione sit

CONCLUSIO prima. Intellectus per objectum à se propositum in genere causa finalis & formalis extrinsecæ specificantis insluit in actum voluntatis. S. D. hic q. 9. a. 1.

Ratio est: Motio objectiva, quâ voluntas per ostensionem boni & finis ad actum allicitur, & ad certam speciem actûs determinatur, pertinet partim ad genus causæ finalis, partim ad genus causæ formalis extrinsecæ: sed intellectus voluntatem non aliter movet ad suum actum, quàm proponendo & præsentando ei suum objectum, ut docet S. D. in c. ergò.

Dices primò. Imperium efficax est actus intellectûs: sed iste efficienter & executivè determinat voluntatem; ergo intellectus etiam efficienter voluntatem determinat ad suos actus.

Secundò. Voluntas habet causam efficientem suorum actuum non tantum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem: sed ipsa non est causa efficiens suorum actuum quoad specificationem; neque enim ipsa potest esse ratio, cur actus sit hujus potius, quàm illius speciei; ergo intellectus est causa efficiens actuum voluntatis quoad specificationem.

Resp. ad 1. dist. min. efficienter determinat volun-



jure naturali esse valida. Ita contra Molinam & quosdam alios Richardus, Sotus, Castrop. Jo. à S. Th. cum alijs, quos citat & sequitur Rhedingus q. 4. a. 1. n. 34. & seqq. Ratio est: ut jure naturali subsistat contractus, sufficit legitimus titulus ad contractus substantiam requisitus, & voluntarium simpliciter: sed in contractu quantumvis ex gravi metu initio potest intervenire legitimus titulus, adest quoque voluntarium simpliciter, quod nullo metu quantumvis gravi tolli potest. Ergo contractus ex metu gravi initus vi juris naturalis non est irritus. Confirmatur. Voluntarium mixtum & ex metu sufficit ad peccatum mortale: ergo etiam ad contractum & votum.

*Dices.* Iniquum est, ut, qui injustè metum incutiendo ab alio consensum extorsit, ex sua injuria commodum reportet: ergo contractus & consensus metu injustè incusso extortus ipso jure naturæ est invalidus.

*Respond. neg. consequentiam:* hinc enim solummodo sequitur, quod secundum juris æquitatem debeat læso competere remedium & beneficium rescissionis, ita ut ipso nolente contractus à Judice sit irritandus, ipso verò volente stare contractui, pars altera, quæ metu consensum extorsit, nequeat rescire. *p. l. dolo ff. de inutilibus stipul. ubi hæc habentur: Dolo vel metu adhibito alio quidem nascitur (quæ utique supponit validitatem contractus) per doti tamen, vel metus exceptionem summo veri petito debet.*

**11.** *Inferes tamen secundo:* Ex æquitate in jure naturali fundatâ per leges positivas quosdam contractus & vota ex metu gravi facta irritari. Sic irritantur primò matrimonia contracta ex metu injustè incusso per. *c. cum locum, de sponsal.* quòd etiam ad sponsalia extendit Sanchez l. 4. de matrim. disp. 17. *Secundo* vota solennia in Religiosâ professione ob metum gravem in hunc finem incussum emissa per. *c. 1. de his, quæ vi metusve causâ sunt.* *Tertiò* Jurisdicção data, vel propagata ex metu l. 2. ff. de Judicis & c. ubi periculum §. ceterum de elect. in 6. *Quartò:* promissio, vel solutio dotis. *ex l. si mulier. 21. §. si dos ff. de eo, quòd metus causâ.* *Quintò:* auctoritas tutorum l. 1. §. ult. ff. de auctor. tutorum. *Sextò:* absolutio ab excommunicatione data ex metu. *c. un. de his quæ vi metusve causâ in 6.* *Septimò:* Testimonia in testamentis metu extorta à testibus l. 4. ff. de testamentis.

**12.** *Inferes tertio.* Metum nunquam per se, aliquando autem per accidens excusare à peccato. Non excusat per se: quia, cum non tollat voluntarium, etiam non aufert liberum: per accidens tamen quandoque excusat, vel quia turbando rationem non relinquit locum perfectæ deliberationi, vel quia ob gravitatem mali imminents hinc & nunc cessat alicujus præcepti obligatio, veluti cum Amico observat Rhedingus l. cit. n. 19.

**13.** *Inferes quartò.* Præcepta humana tam Ecclesiastica, quam civilia plerumque tam graviter non obligare, ut metus gravis ab iisdem non excuset: neque enim legislator præsumitur tantum onus subditis imponere voluisse. Et sic lex jejunijs, audiendi Sacri &c. non obligat cum periculo salutis corporalis. *per. c. de observ. jejuniorum* In triplici tamen casu etiam præcepta humana posi-

tiva obligant non obstante gravi metu. *Primò* quando hoc exprimitur in ipso præcepto, & sic Carthusiani obligantur ad abstinentiam a carnibus etiam in periculo mortis.

*Secundo,* quando metus incutitur eo fine, ut quid fiat in contemptum præcepti, tunc enim communis boni ratio exigit legis observantiam etiam cum jactura boni particularis: ac tertio, quoties actus præceptus respicit bonum commune: veluti est præceptum de non legendo Sacrosanctæ luminari, sine sacris vestibus, de aquâ in calice miscendâ vino, tunc enim etiam ob magnam periculum & necessitatem non licet præcepto contrariari, propter bonum commune Religionis in tali præcepto principaliter intentum, docet Castropal. cum alijs, quamvis aliquæ etiam contrarium opinentur.

*Inferes quintò.* Præcepta naturalia negativa, ut est de non fornicando, de non faciendâ latrocinio in valido &c. Obligare in quocunque gravi metu: quia actus ejusmodi præceptis oppositi sunt intrinsicè mali, adeoque nullo metu vel casu excusabiles, aut à malitia separabiles.

*Inferes sextò.* Transgressionem præcepti naturalis positivi metum mortis incutentis probabiliter aliquando excusari posse, prout docet Sotus, Navarr. Jo. à S. Th. disp. 3. a. 1. quia præcepta affirmativa non sunt prohibitiva actionis intrinsicè malæ, sed præceptiva actionis intrinsicè bonæ & secundum moralem honestatem necessariæ, quæ cum quidem obliget semper, non tamen pro semper, ideo poterit dari aliqua circumstantia, in quâ ipsius transgressio excuset. Et ideo Hdefonus Bapt. à peccato excusat puellas, quæ non habens proximum periculum confessâ in actum, negativè promittit sui desolationem, quam sine vitæ suæ discrimine impedire non poterit: eò quòd ista propriæ defensionis omnino adverteretur solum præcepto affirmativo, quo tenetur suam pudicitiam contra invalorem ipsius defendere.

*Inferes septimò.* Præcepta divina positiva in tali metu gravi non obligare: sic enim habentur exempla in S. Script. primò Jos. 5. præceptum circumcissionis per quadraginta annos itineris Israelitarum non obligabat, quia circumcisi propter laborem itineris de vita fuissent periclitati. Secundo quamvis omnibus laicis panes Propositionis fuerint interditi, licuit tamen Davidi cum socijs in extremâ famis necessitate illos comedere. 1. Reg. 21. Christus quoque Matt. 12. suos Discipulos fame urgente spicas vellentem in die Sabbati contra Judæos præceptum observantiae objicientes memorato exemplo Davidis excusat & defendit. Ut porro dignosci queat, quando nam grave periculum vel metus excuset, quando non sequentem regulam tradit Rhedingus l. cit. n. 27. quando nimirum præcepta divina respiciunt propriam operantis utilitatem, tunc urgente gravi metu vel periculo non obligant, & ita aliquando non obligat præceptum materialis integritatis in confessione: quando verò præceptum in sui observantia respicit commune bonum religionis, tunc obligare in quocunque metu vel periculo, sic obligat sigillum confessionis, consecratio libæ utraq; specie, confessio Eucharistia in pane triticeo &c.